

V

IN CANIDIAM

Iambicus

‘At ō deōrum quicquid in caelō regit
 Terrās et hūmānum genus !
 Quid iste fert tumultus ? Aut quid omnium
 Vultūs in ūnum mē trucēs ?
 Per līberōs tē, (sī vocāta partubus
 Lūcīna vērīs affuit)
 Per hoc^c ināne purpurae decus precor,
 Per improbātūrūm haec Iovem,
 Quid ut noverca mē intuēris, aut utī
 Petīta ferrō bēlua ?’
 Vt haec tremētī questus ōre cōnstitit
 Īnsīgnibus raptīs puer,
 Impūbe corpus, quāle posset impia
 Mollīre Thrācum pectora,
 Cānidia, brevibus illigāta vīperīs
 Crīnēs et incōmptum caput,
 Iubet sepulcrīs caprificōs ērutās,
 Iubet cupressōs fūnebrēs,
 Et ūncta turpis ōva rānae sanguine,
 Plūmamque nocturnae strigis,
 Herbāsque, quās Iōlcos atque Hibēria
 Mittit venēnōrum ferāx,
 Et ossa ab ōre rapta iēiūnae canis
 Flammīs adūrī Colchicīs.
 At expedita Sagana, per tōtam domum
 spargēns Avernalēs aquās,
 Horret capillīs, ut marīnus, asperīs,
 Echīnus aut currēns aper.
 Abācta nullā Vēia cōnscentiā
 Ligōnibus dūrīs humum
 Exhauriēbat, ingemēns labōribus,
 Quō posset ĩnfossus puer
 Longō diē bis terque mūtātae dapīs
 Inēmōrī spectāculō,
 Cum prōminēret ōre, quantum exstant aquā
 Suspēnsa mentō corpora :
 Exsūcta utī medulla, et āridum iecur
 Amōris esset pōculum,
 Interminātō cum semel fixae cibō
 Intābuisent pūpulae.
 Nōn dēfuisse masculae libīdinis
 Arīminēsem Fōliam,
 Et otīosa crēdidit Neāpolis,
 Et omne vīcīnum oppidum :
 Quae sīdera excantāta vōce Thessalā
 Lūnamque caelō dēripit.
 Hīc irsectum saeva dente līvidō
 Cānidia rōdēns pollicem,
 Quid dīxit ? Aut quid tacuit ? ‘Ō rēbus meīs
 Nōn ĩnfidelēs arbitrae,
 Nox, et Diāna, quae silentium regis,
 Arcāna cum fīunt sacra,
 Nunc, nunc adeste, nunc in hostīlēs domōs
 Īram atque nūmen vertite !
 Formīdolōsīs dum latent silvīs ferae
 Dulcī sopōre languidae,
 Senem (quod omnēs rīdeant) adulterum
 Lātrent Subūrānae canēs,
 Nardō perūnctum, quāle nōn perfectius
 Meae labōrārīnt manūs.
 Quid accidit ? Cūr dīra barbarae minus
 Venēna Mēdēae valent,
 Quibus superbam fūgit ultra paelicem,
 Magnī Creontis fīliam,
 Cum palla, tābō mūnus imbūtum, novam
 Incendiō nuptam abstulit ?
 Atquī nec herba nec latēns in asperīs
 Rādīx fefellit mē locīs ;
 Indormit ūnctīs omnium cubīlibus
 Oblīviōne paelicum.
 Āh, āh, solūtus ambulat venēficae
 Scientiōris carmine !
 Nōn ūsitātīs, Vāre, pōtiōnibus
 (Ō multa flētūrūm caput !)
 Ad mē recurrēs ; nec vocāta mēns tua
 Mārsīs redībit vōcibus :
 Māius parābō, māius ĩfundam tībī
 Fastīdientī pōculum.
 Priusque caelum sīdet ĩferius marī,
 Tellūre porrēctā super,
 Quam nōn amōre sīc meō flagrēs utī
 Bitūmen ātrīs ĩgnibus.’
 Sub haec puer iam nōn, ut ante, mollibus
 Lēnīre verbīs impiās,
 Sed dubius unde rumperet silentium,
 Mīsit Thyestēas precēs :
 ‘Venēna magnum fās nefāsque ; nōn valent
 Convertere hūmānam vicem.
 Dīrīs agam vōs : dīra dētestātiō
 Nullā expiātur victimā.
 Quīn, ubi perīre iussus exspīrāverō,
 Nocturnus occurram Furor,
 Petamque vultūs umbra curvīs unguibus,
 (Quae vīs deōrum est Mānium)
 Et inquietīs assidēns praecordiīs
 Pavōre somnōs auferam.
 Vōs turba vīcātīm hinc et hinc saxīs petēns
 Contundet obscēnās anūs ;
 Post, ĩsepulta membra different lupī,
 Et Esquilīnae | ālitēs :
 Neque hoc parentēs (heu mihī superstitēs !)
 Effūgerit spectāculum.’